



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput XXVII. Pulchra Doctrina Patris Martini, de Bonæ ac Malæ Mortis  
differentijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

## CAPUT XXVII.

Pulchra Doctrina P. Martini de Bonæ  
ac Malæ Mortis differentijs.

**C**um sensim appropinquare dissolutionem suâ à corpore notaret, & verò etiam prædiceret, scribebat Vir humillimus, ad amicos suos Patres, quibuscum arctior vixit, ut documenta sibi ad bonam mortem subeundam communicarent. Magister potiùs à discipulis instructionem postulabat ex animi demissione, cum quoad viveret, semper se ad bonam mortem præpararet, & modo quidem ut subjungimus, cuius ad imitationem dignissimo. Definiebat ac distinguebat Mortem variam, bonam & malam. inter hanc utramque, multiplices esse Mortes bonas & multipliciter malas. Mortem Naturalem aiebat esse, subjectum artis quod formatur, & bonum fit per præsentem Divinam gratiam; malum verò per gravem offensam DEI atque culpam. Mors ea cum certissima sit, & inevitabilis, hora verò ejus sit incertissima, nullum vitæ nostræ momentum gratiæ vacuum, & bene moriendo ineptum esse decet. Mortis claves ac potestatem, cum solus Vitæ  
Largitor

Largitor ac rerum omnium Conditor, Modera-  
 torque ac in solidum Dominus possideat, nemo  
 ejus injussu statuere de ea quidquam potest, ne-  
 que debet. Genera & modos Mortis Divina  
 sola Providentia distribuit ac dispensat; ab ea  
 proinde modi moriendi qui displicent, depre-  
 candi; qui placent, postulandi; & quos illa no-  
 bis decreverit humiliter ac reverenter accep-  
 tandi. Bene mori, est, transire per mortem  
 naturalem ad vitam gloriæ beatam, immorta-  
 lem & æternam, cui vitæ, tanquam tabulæ  
 mors nexus est, cardo gratia; quo perduto, perijt  
 nexus & tabula. Malè mori est, per mortem  
 naturalem præcipitari in æterna mala & spoliari  
 in æternum fructione Summi Boni, ruinam cau-  
 sante offensâ DEI atque culpâ. Bene moritu-  
 rus vacare debet omni gravi culpâ, & abundare  
 gratiâ; illa autem vacabit, si admissam pæniten-  
 do, & DEO propitiando evacuabit, & non con-  
 sentiet in admittendam. abundabit istâ; si eam  
 ambiat, si limen misericordiæ Divinæ ejus causâ  
 non terat solùm obiter, sed pulset etiam impor-  
 tunè & constanter; si obtentam æstimet, ac  
 conservet, conservatam quotidianis augeat in-  
 crementis, auctam invariabili perseverantiæ do-  
 no stabiliri procuret, ac firmari. Hæc princi-  
 pia & præcepta, ut fructuosa fierent & observa-  
 tu facilia, subdivisit subjectum artis memoratæ,

Y

trifari-

trifariam. In mortem videlicet, Bonam, quæ sit: 1. Læta. 2. Secura. 3. Fervens. 4. Tranquilla. 5. Æquanimis. 6. Humilis. 7. Pia. In mortem malam, quæ est 1. Bruta. 2. Elata. 3. Intricata. 4. Lutulenta. 5. Amara. 6. Furens. 7. Desperata. In mortem denique mediam, quæ sit 1. sive improvifa sive prævifa. 2. brevis vel longa. 3. placida vel violenta. 4. ficca vel cruenta. 5. pauper vel opulenta. 6. mitis vel acerba. 7. ignobilis vel honorata.

Declarabat autem mortem esse *Latam*, eam, quam morientes hilariter obierunt, ut D. Joannes Evangelista in sepulchrum tanquam in lectulum se demittens. D. Theodorus Martyr, *Benedicam Dominum in omni tempore, decantans*. Bernardinus Senensis, & Vincentius Ferrerius, uterque ridens. Venerabilis Beda: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto* modulans.

*Securam* verò eam, in qua nihil timoris appareret. Qualis erat D. Hilarionis: *Egredere anima mea quid dubitas? Septuaginta prope annis Christo servivisti, & mortem times?* seipsum animantis. Divi Martini: *Nihil in me funestere peries, Abratia me sinus excipiet*, Sathanæ insultantis. Divi Ambrosij, *Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*, astantibus confitentis. D. Augustini ad mortis nuntium: *Non erit magnus magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & ligna moriuntur*, philosophantis. Fer-

*Ferventem*: autem eam, quæ in fortiter agendo pro DEI gloria evenisset. qualis erat D. Stephani Hierosolymis disputantis. D. Timothei adversus Dianam Ephesi declamantis. D. Ignatij in Romano Amphitheatro bestias adversum se provocantis. D. Cypriani coram suis Carthaginensibus, dicto super sententiam Persecutoris, *DEO gratias*, generosè pro Christo caput securi subijcientis.

*Tranquillam* dixit perturbationibus vacuum, qualis erat D. Pauli primi Eremitæ in oratione defuncti; Divi Athanasij post multas jactationes in sede sua decedentis. S. Joannis Eleemosynarij ad Regem Regum se vocantem, quietissimè proficiscentis. D. Paulini Nolani: *Levavi oculos meos in montes*, placidissimè moriendo pronunciantis.

*Æquanimem* & voluntati Divinæ conformem, qualis erat: cum *Gloria tibi Domine de rebus omnibus*, in exilio occumbentis Chrysofomi. Et in Catabulo, seu publicorum jumentorum stabulo Pontificis & Martyris Marcelli; post prolongatas ægritudines magni Gregorij, & decantantis in custodia: *Omnis Spiritus laudet Dominum*, Cœlestini.

*Humilem* qualis erat D. Francisci Assisiatis, post lectam Passionem Dominicam ex D. Joanne, pauperrimè in nudo solo decumben-

tis. Et: *Voce mea ad Dominum clamavi*, perorantis. Divorum Anselmi & Caroli super cilicio & cinere morientium; & B. Ferdinandi Magni Castellani Regis, qui æger in Templum delatus Regia ornamenta DEO humillimè restituit & æternam lucem ab eo precatus, cilicio indutus, & cinere aspersus mori voluit.

*Piam* denique & devotionis plenam; qualis erat plerorumque omnium Sanctorum, & inter eos laudati à D. Gregorio Servuli, inter Psalmos & cœlestia cantica exspirantis. Divi Ludovici Gallix Regis per: *Introibo in Domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*, æternam beatitudinem inchoantis; & impiè interfectorum inter piè sacrificandum D. Clementis Ancyрани, & D. Stanislai Cracoviensis in Altari, & in oratorio fraternâ manu enecti, Divi Wenceslai.

Ex adverso malas inter mortes: *Brutam* cenferi voluit eam, quæ sinè cognitione aut memoria, cultûque DEI contingeret; qualem obeunt Infideles & Athei, qualêmque in Mundi sapientibus ijs damnavit Apostolus, qui cùm DEUM cognovissent, non sicut DEUM glorificaverunt, nec gratias egerunt. Ad quorum classes pertinent omnes ij, qui morientes nullam de DEO habent cogitationem salutarem.

*Elatam* verò, quâ decedunt superbi & ambitio-

bitiosi; ut filij Core, Dathan & Abiron, Absolon, Aman, & qui se DEUM appellari sustinebat, Herodes.

*Intricatam* autem, quam obeunt curis secularibus, & temporalibus negotijs cogitandis, etiam tunc occupati, cum earum oblitos, DEI potius memores esse oporteret. Qualis fuit ille Evangelicus horreorum dilatator. & Chrysaorius apud D. Gregorium postulans inducias usque manè, nec impetrans.

*Lutulentam*, quâ extingvuntur voluptatibus immerfi, cum ebrio Amon primogenito David, Balthasare Babylonico, Evangelico Epulone, Udone Magdeburgensi infelici Præsule.

*Amaram*, quam experiuntur illi, qui odia, invidias, hostilitates, cum vita finire omittunt, sed ea continuanda, & ob id etiam luenda ad æternitatem secum transferunt.

*Furentem*, quâ pereunt in flagrante crimine Iracundiæ occumbentes, quales sunt, duellantes, rixantes, conviciatores, aut mala proximis machinantes.

*Desperatam* denique, quâ infelicissimè tolluntur, qui DEI bonitate & misericordiâ contemptâ, converti ad eum nolunt, & cum Caino majorem suam esse iniquitatem quàm quæ venia tolli possit, contendunt, vel cum Juda Iscariote, ejusque sequacibus, laqueis, præcipi-

tijſ, aut alijs violentis vitam ſibi eripiunt, aut clauſum ſibi cœli oſtium infernum apertum edicunt, aut traditos ſe jam atro ſatellitio, aut cruentis infernalibus beſtijs lamentantur.

## C A P U T XXVIII.

Qualiter Bonam Mortem per decurſum Vitæ, ſibi precatus fuerit.

**B**onam ſibi, & ex bona omnes illas mortes precabatur P. Martinus, quas etiam, ut videbimus, feliciffimè obtinuit à DEO. Quod enim eleganter aſcetico ſpiritu diſtinxit, hoc praxi per vitam conſtanter uſurpavit.

*Latam* ergo mortem precari ſic eſt aggreſſus, & quidem hanc die Dominico, reliquas frequentibus ferijs. circa eam verò ſic occupabatur. Ubi negotijs Regularibus finem faciebat ſignum capeſſendæ quietis, ad ſe ingrediens, & ſecum habitans, ità animam alloquebatur: *Hunc tibi crede diem mea mens luxiſſe ſupremum.* Repetit te ab hoc corpore, cui precariò conceſſa eras, legitimus poſſeſſor DEUS. & de corpore quidem frater mortis ſomnus, & ſarcophagi propinquus lectulus, quid acturi ſint per ingruentes iſtas tenebras, ipſum viderit. Tibi  
autem